

77.

Vir amplissime!

Dum ego ruri in Praedio dentus vixi, tradidit Legatus vester transmissa opera Tua, quae mox ac in urbem redii tradidi Bibliothecario Academico nostro Frondin, qui mox vellet solvere pretium.

Quaesivi literas Tuas sollicite, in quibus pretium descripsisti, sed literas certe non reperi, oro itaque rogoque mox rescribas, quanti veniant, ut itaque intelligamus vestras pecunias, dicas quid valeant secundum Ducatos belgicos (apud nos unicus Ducatus valet 2 imperiales) et dicam Bibliothecario qui mox promisit se redditurum pretium. NB. istam alteram centuriam incompletam nolit solvere, antequam totam et integram recipiat.

Quaeritur dein num licet has pecunias tradere Legato vestro qui Stockholmiae degit, cum ille quotannis habeat pecunias e Vienna, adeoque cum ille a Bibliothecario nostro acceperit pecunias, posses Tu facile ab Tuo Legato destinatis pecuniis, sumere quae Tibi debentur, ostensa ejus syngrapha. Rescribas quamprimum.

Tuus

*Linné.*

Upsaliae 1774, d. 1. Septembr.

78.

Vir amplissime!

Ranunculus nivalis minime est; forte R. bulbosi varietas ex alpibus.

Illecebrum s. Herniaria est Illecebrum capitatum.

Orobanche an major, quum calyx quinquefidus. Variat Orobanche multis modis, ut ex speciminibus colligo; in mea patria non nisi semel repertum.